

## Band X., Nr. 4226, Seite 23-25

*Heinrich von Schwarzach, Bürger in Mengen, macht sein Testament.*

Mengen, 1292. Februar 20.

In nomine domini. Amen. Universis hanc litteram inspecturis Hainricus dictus de Swarza civis in Mængen fidem presentibus adhibere. Quoniam ut ait apostolus omnes astabimus ante tribunal Christi recepturi prout unusquisque gessit in corpore, debemus diem discussionis extreme misericordie operibus prevenire. Eapropter presentes noverint et futuri, quod ego in bona valitudine mentis et corporis constitutus secundum formam subscriptam meum condo et ordino testamentum. In primis igitur volo ac testando ordino de consensu pleno et expresso sororum mearum Adilhaidis Agnetis et Trütele, ut domus mea sita in Mængen cum eidem pertinentibus, que vulgariter dicuntur ain hoveraiti, et medietas omnium bonorum meorum mobilium, que in morte mea habuero, in quacumque materia consistant pondere vel mensura, ad venerabiles in Christo . . . abbatem et conventum monasterii de Salem ordinis Cisterciensis, quibus iam res easdem trado et tradidi per presentes, post mortem meam sine contradictione qualibet devolvantur et prefatus dominus abbas de reliqua medietate omnium bonorum meorum mobilium ordinet et disponat secundum quod ego secum deliberavero viva voce. Hoc observato, quod si ego ante talem deliberationem viam universe carnis ingressus fuero, dominus abbas iamdictus de argento, quod pro medietate bonorum meorum iamdicta provenerit, locis et personis subscriptis summam distribuatur subnotatam, videlicet quadraginta et quinque marcas argenti, de quibus . . . filiabus . . . sororis mee videlicet Adilhaidi et Agneti septem marcas ponderis Constantiensis, in Ratolfcelle duas marcas, in Buselingen ad fabricam ecclesie duas marcas, in Überlingen ad parrochiam ecclesiam duas marcas, in Phrûnwangen<sup>1</sup> duas marcas, in Stetten prope Holnstain duas marcas, Berte procuratrici mee tres marcas, in Zwiveltûn duas marcas, in Vallem sancte Crucis duas marcas, in Habstal duas marcas, in Walde duas marcas, . . . priori et fratribus sancti Willelmi in Mængen duas marcas, honorando viro . . . decano in Diengen unam marcam item . . . sorori mee et filie ipsius in Habstal unam marcam, hospitali in Phullendorf unam marcam, Irmengardi filie mee tres marcas, . . . priori et fratribus Predicatorum domus Constantiensis duas marcas, fratri Hainrico de Diezenhoven domus eiusdem specialiter unam marcam, decanatu in Diengen unam marcam, fratribus Minoribus in Constantia unam

---

<sup>1</sup>Pfrungen, Wilhelmsdorf, RV.

## II

marcam, fratribus sancti Augustini in Constantia unam marcam, fratribus Minoribus in Überlingen unam [marcam], hospitali in Constantia unam marcam et . . plebano in Mængen unam marcam tenebitur fideliter assignare. Et ut predicta ordinatio effectum habeat plenior, medietatem bonorum meorum mobilium prefatorum cum domo predicta ad manus eorundem de Salem resignavi in corporalem possessionem eosdem inducens et promittens, quod de ipsis rebus omnibus duas libras cere nomine census in festo beati Martini ipsis annis singulis assignabo. Reservo autem ego in omnibus et singulis supradictis mihi augmentandi diminuendi rumpendi in parte vel in toto predictam ordinationem in alia loca seu personas alias transferendi liberam facultatem, omnibus et singulis premissis, que per me exnunc non fuerint immutata, in pleno robore duraturis. Si autem ego prefatis personis seu locis aliquid de peccunia memorata donavero, dominus abbas prefatus tantum ipsis debebit defalcare, quantum ego dederam ante mortem. Quod si medietas sepedicta bonorum mobilium per me personis et locis predictis deputata ad solvendum summam predictam reperta fuerit minus sufficiens, quod absit, tunc ipse dominus abbas de medietate suo monasterio deputata defectum debebit communiter subportare ac tantum addere et defalcare singulis legatariis, quantum sibi secundum claritatis sue consilium visum fuerit expedire. Si etiam aliquid post solutionem summe sepefate superfuerit, illud ipse dominus abbas suo monasterio debebit integraliter vindicare. Volo preterea, ut quatuor iugera agrorum sita prope Gunzikoven, unum vulgariter dictum der aker ob Gunzikoven, alterum dictum der aker ob dem wege, tertium dictum der anewander, quartum der brait aker, super quibus inter eosdem de Salem et me quondam questio mota fuit, ipsis secundum quod tunc per . . decanum in Diengen extitit ordinatum post mortem meam remaneant pleno iure. In cuius facti evidentiam hanc litteram sigillis domini abbatis sepedicti et universitatis in Mængen feci pro testimonio communiri. <br> <br> Actum in Mængen, anno domini MCC nonagesimo secundo, X. kalendas Martii, subnotatis testibus presentibus et rogatis, videlicet honorandis viris Cûnrado decano in Diengen, Rud. plebano in Almswiler, religiosis viris Hainrico de Diezenhoven et Hainrico de Isenina fratribus Predicatoribus, viris discretis Eber. ministro in Mængen, Wernhero de Bartelstain, Bur. dicto Hûter, Hermannno dicto Hundûbel, Walt. de Hulfstetten, Wernhero dicto Murer, Ûlrico dicto Turner, Æbelino dicto Hundûbel, Bur. dicto Rûde, Æbelino fratre decani in Diengen et . . villico de Swarzach aliisque pluribus fide dignis. Nos frater Ûlricus abbas et conventus de Salem omnia et singula premissa vera esse profitentes sigillum nostrum huic littere appendimus pro testimonio et cautela, obligantes nos nostrosque qui pro tempore fuerint successores, quod si prefatus Hainricus de Swarzach amicus noster specialis ordinationem prefatam

### III

ratam habuerit in toto, nos tres libras denariorum Constantiensium, quas sibi singulis annis hactenus nomine pensionis de possessionibus in Gunzиковen persolvimus, sorori sue Adilhaidi, si ipsa sibi supervixerit, persolvamus annis singulis, duntaxat pro tempore vite sue. Nos quoque Eber. minister de Mængen prefatus et universitas civitatis eiusdem omnia et singula premissa vera esse profitentes ad petitionem sepedicti Hainrici concivis nostri sigillum nostre civitatis huic appendimus instrumento.

—

Textabdruck folgt dem Original.<br> <br> Mit zwei eingenähten bekannten Siegeln.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

Fürst Thurn und Taxis Zentralarchiv in Regensburg

### Signatur/Titel des Originals:

KU Salem 1292 II 20

## Weitere Angaben

### Beschreibstoff:

Pergament

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Mengen

### Ortsindex:

Allmannsweiler Wohnplatz (17042) <br> Allmannsweiler, BC <br> Bartelstein Wüstung (24206) <br> Bartelstein, Scheer, SIG, W <br> Büßlingen Wohnplatz (14706) <br> Büßlingen, Tengen, KN <br> Diessenhofen, Kt. Thurgau, Schweiz <br> Günzkofen Wohnplatz (21089) <br> Günzkofen, Hohentengen, SIG <br> Habsthal Wohnplatz (21211) <br> Habsthal, Ostrach, SIG <br> Heiligkreuztal Wohnplatz (17046) <br> Heiligkreuztal, Altheim, BC <br> Hohentengen Wohnplatz (21091) <br> Hohentengen, SIG <br> Huldstetten Wohnplatz (15948) <br> Huldstetten, Pfronstetten, RT <br> Isny im Allgäu Wohnplatz (19528) <br> Isny im Allgäu, RV <br> Konstanz Wohnplatz (14442) <br> Konstanz, KN <br> Mengen Wohnplatz (21164) <br> Mengen, SIG <br> Pfrungen Wohnplatz (20584) <br> Pfrungen, Wilhelmsdorf, RV <br> Pfullendorf Wohnplatz (21259) <br> Pfullendorf, SIG <br> Radolfzell am Bodensee Wohnplatz (14565) <br> Radolfzell am Bodensee, KN <br> Schloss Salem : Salem FN <br> Schloss Salem Wohnplatz (18257) <br> Schwarzach Wohnplatz (21327) <br> Schwarzach, Bad Saulgau, SIG <br> Stetten unter Holstein : Burladingen BL <br> Stetten unter Holstein Wohnplatz (16335) <br> Stetten unter Holstein, Burladingen, BL <br> Wald Wohnplatz (21404) <br> Wald, SIG <br> Zwiefalten Wohnplatz (16028) <br> Zwiefalten, RT <br> Überlingen Wohnplatz (18447) <br> Überlingen, FN